

VERSION LATINE

« Alexandre victime d'une hydrocution »

Mediam¹ Cydnus amnis, de quo paulo ante dictum est, interfluit ; et tunc aestas erat, cuius calor non aliam magis quam Ciliciae oram uapore solis accendit, et diei feruidissimum tempus esse coeperat. Puluere simul ac sudore perfusum regem² inuitauit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret ; itaque, ueste deposita, in conspectu agminis, – decorum quoque futurum ratus, si ostendisset suis leui ac parabili cultu corporis se esse contentum – descendit in flumen. Vixque ingressi subito horrore artus rigere coeperunt ; pallor deinde suffusus est, et totum propemodum corpus uitalis calor liquit. Expiranti similem ministri manu excipiunt, nec satis compotem mentis in tabernaculum deferunt. Ingens sollicitudo et paene iam luctus in castris erat. Flentes querebantur in tanto impetu cursuque rerum omnis aetatis ac memoriae clarissimum regem non in acie saltem, non ab hoste deiectum, sed abluentem aqua corpus ereptum esse et extinctum : ‘instare Dareum³ uictorem antequam uidisset hostem ; sibi easdem terras, quas uictoria peragrassent, repetendas : omnia aut ipsos, aut hostes populatos. Per uastas solitudines, etiam si nemo insequi uelit, euntes fame atque inopia debellari posse’. Rursus in ipsum regem misericordia uersa, illum florem iuuentae, illam uim animi, eundem regem et commilitonem diuelli a se et abrumpi inmemores sui querebantur.

Quinte-Curce

¹ *mediam* : comprendre *mediam urbem* (il s’agit de la ville de Tarse, en Cilicie).

² *regem* : Alexandre, roi de Macédoine.

³ *Dareus* : Darius, roi de Perse, ennemi d’Alexandre.